

Anno deribus Jerosolymæ festum celebrarent, &
 M. novi Templi fundamenta jacerent, vicini
 infesti reducibus, turbare operas ædifican-
 tium instituerunt. Post etiam, sublato Cy-
 ro, sub Filio ipsius, & successoribus, *Dario*,
Xerxe, *Artaxerxe*, quod cœptum erat, edi-
 Ætis regiis prorsus impediverunt. Nec melior
 fortuna fuit Judæorum, qui in Babylone
 remanserant. Nam calumniis *Hammanis*
Amalekitæ apud *Ahasuerum*, sive *Xerxen* Re-
 gem in extremum adducti discrimen, pe-
 riissen universi, nisi *Esteræ* consilio *Mardo-
 chæi* deprecata pro gente, malum divertisset
 in autorem suum. *Dario* autem *Notho* re-
 rum potiente, hortatu Prophetarum *Hag-
 gæi* & *Zachariæ*, & permisso Regis denuò ag-
 gressi opus, *Templum* brevi tempore absolve-
 runt, ritûque solenni consecrârunt.

3499 *Joachim* patri successit in Pontificatu,
 quo tempore *Esdras* Sacerdos ex posteritate
 Eleazaris ab *Artaxerxe Mnemone* dimissus,
 cum multis sacerdotibus & Levitis rediit
 Jerosolymam. Ditavit *Templum* illatis
 in illud donariis Regis & Principum: or-
 dinavit Ecclesiam: promulgavit Legem
 Mosaicam, & de novo descripsit, habitâque
 quæstione mulieres alienigenas Judæo-
 rum connubiis exturbavit.

3527 *Eliasib* exceptit Nehemiam Principem ab
Artaxerxe Mnemone dimissum in Judæam.
 Hic ex ruderibus mœnia Jerosolymitana
 excitavit, & novam urbi formam dedit.
Cives per vicos distribuit, & magnis oneri-
 bus